

tholicū iam putare vel dicere. Possunt enim & hereses alia quæ in hoc opere nostro commemorata non sunt, vel esse vel fieri, quarum aliquā quisquis tenuerit, Christianus catholicus non erit. Quid ergo faciat hereticum deinceps requirendum est, ut cum hoc Domino adiuvante vitamus, non solum ea quæ scimus, verū etiam quæ nescimus siue quæ iam orta sunt, siue quæ adhuc oriri poterunt, heretica venena vitemus. Huius autem sit iam voluminis finis, quem propterea vobis antequam totū hoc opus perficerē credidi esse mittendum, ut eum quicumque legeritis, ad id quod restat implendū, quod iam magnum esse cernitis, me orationibus idiuuetis.

Hactenus Augustinus.

Videtur autem polliceri secundam quandam disputationem de eo quod facit hereticum hominē. Nec tamen eam promissionem repræsentavit, siue aliis negotiis distractus, siue quod necessariam nō iudicavit, siue quod temporis iniuria perierit.

---

ALIAE HAERESSES EX

veteri exemplari Gemblensi transcriptæ,  
& huic Augustini catalogo additæ.

CAP. XC.

Timotheanorum error quis fuerit.

**T**imotheani<sup>2</sup> dicunt<sup>2</sup> Filium Dei verū quidem hominem ex virgine Maria natum, sed non ita unam reddidisse personam, ut non in unam sit redactus naturam, conflatorum quoddam volentes fuisse interiora virginis, per quod